

autem est, quia Plato nihil prorsus tota ea tractatione de hac latentia aut dixit aut etiam innuit.

Subdit Aristoteles:<sup>92</sup> *Absurdum vero etiam calidi respirationem ingressum esse, appareat enim contrarium.* At Plato contrarium dixerat:<sup>93</sup> *Impulsum vero in ignem incidens, calescit, exiens vero refrigerescit.* Nam quod ingreditur, cum in caloris sedem incidat, incalescit nimirum, et quod exit, cum ab aere frigidore excipiatur, refrigeratur, cui dubium? Idem sentit Aristoteles. Sed cum eadem sit Platonis sententia, cur carpitur?

10 Capite 6. subnectit in haec verba:<sup>94</sup> *Sed enim neque nutritio-  
nis causa putandum fieri*<sup>xxix</sup>, *tamquam nutriatur spiritu interni ignis.* Videtur ex continuatione illa contra Platonem directus sermo. Sed nihil tale scripsit. Plato dixit sane in eam sententiam, quam 8. capite proximo Aristoteles explicat, at horum nihil. Quare si 15 aduersus Platonem vibratus est hic sermo, falso id factum est, si non contra ipsum, nihil eorum est necesse nos huc afferre.

Atque hactenus omnia, quaecumque nominatim ex Timaeo loca sunt ab Aristotele reprehensa, falso ac maligne et contra apertam Platonis sententiam fuisse reprehensa ostendimus.

20 Locum alterum in Phaedone, 2. Meteoro capite 2. carpit:<sup>95</sup> *Quod vero in Phaedone est scriptum de fluminibus et mari, impossibile  
est.* Sed haec cavillatio futile ac puerilis est. Fabula enim ea est non solum de mari fluminibusque in Tartaro, sed etiam de terra, de inferno poenisque inferorum, ipsequemet Plato fabulam eam

<sup>92</sup> ἀτοπὸν δὲ καὶ τὸ τοῦ θερμοῦ τὴν ἀναπνοὴν εἰσόδον εἶναι, φαίνεται γὰρ τούναντίον. [ARIST. Resp. 472b.33 – 34]

<sup>93</sup> τὸ δὲ περιωσθὲν εἰς τὸ πῦρ ἐμπίπτον [ἐμπίπτον] θερμαίνεται, τὸ δ' ἐξιόν ψύχεται. [PLATO, Ti. 79.e.2 -3]

<sup>94</sup> ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τροφῆς γε χάριν ὑποληπτέον γίνεσθαι {τὴν ἀναπνοήν}, ὡς τρεφομένου τῷ πνεύματι τοῦ ἐντὸς πυρός. [ARIST. Resp. 473a.3 – 4]

<sup>95</sup> τὸ δ' ἐν τῷ Φαιδωνι γεγραμμένον περὶ τε τῶν ποταμῶν καὶ τῆς θαλάττης ἀδύνατόν ἐστιν. [ARIST. Mete. 355b.32 – 34]

<sup>xxix</sup> U grčkom citatu nedostaje riječ τὴν ἀναπνοήν, a nije ni prevedena.